



Nf. 24.

PROGRAMMA SACRVM
 Q V O
 ACADEMIAE FRIDERICIANAE
 P R O R E C T O R,
 N I C O L A V S H I E R O -
 N Y M V S G V N D L I N G I V S, I. C.

POTENTISSIMI REGIS BORUSSIAE CON-
 SILIARIUS INTIMVS, IVRIVM ATQVE ELO-
 QVENTIAE PROFESSOR ORDINARIUS,

VNA CVM PROFESSORIBVS
 R E L I Q V I S,
 C I V I B V S A C A D E M I C I S

P I A M R E S V R R E C T I O N I S
 C H R I S T I
 M E D I T A T I O N E M

etiam atque etiam commendat.

HALAE MAGDEB.
 TYPIS IOANNIS MONTAGII, ACAD. TYPOGR.





Qvod Christus est sacris litteris, id historiae de Christo est gloriosa ejus RESURRECTIO, h. e. centrum & nucleus, in quo omnem utriusque status peripheriam collectamprehendas. Ea enim exaltationis statum ita inchoavit, ut mortis particularis fuerit consequens, & ejus efficaciam obfignatam nobis commendaverit, nec commendare, immo re ipsa conferre, desinat. Quare, si salutifera Christi nativitas est mysterium pietatis sine controversia magnum; certe ejusdem resurrectio est miraculum ingens; miraculum, ex quo omnis fidei & pietatis vigor & instauratio surgit & efflorescit. Illud vero resurrectionis & vitae, quæ eam proxime infecuta est, gloriosæ historiam, per se jam svavisimam, adhuc svaviorem, historicamque ejusdem recensitionem luculentiore reddit, si attenta consideres mente, quomodo, quoties, & quibus post *ἀνάστασιν* vivum videndumque se exhibuerit Salvator optimus. In qua materia saluberrima ut vestram, CIVES hujus Academiae CARISSIMI, meditationem accendamus, aut accensam alamus provehamusque felicius, en! vobis feriem *ἡγεῖο Φαρισαίων* integram, quæ ex harmonica quatuor evangelistarum narratione collecta ad numerum apparitionum *denarium* assurgereprehenditur.

PRIMA facta est piæ mulieri, *Mariae Magdalene*, quæ & dæmonica expulsi dæmonibus facta fuerat Christi discipula, in studio ipsum unguendi cum aliis pie occupata Luc. VIII. 2. Io. XX. 1. seqq. Hanc Dominus omnium primam in horto, in quo e monumento suo resurrexerat, salutatione & alloquio; primum haud agnitus deinde autem cum gaudio cognitus, salutavit, & mandato de annuntianda adscensione instructam ad discipulos suos trepidantes ablegavit. Io. XX. 14. seqq. Venerat ipsa quidem ad monumentum in comitatu reliquarum mulierum piarum; & illis ibidem

re-

remanentibus sola cucurrerat Hierosolymam, angelorum sermonem discipulis nuntiatura. Quo audito cum illa Petrus & Ioannes monumentum adibant illico, sed Christo haud invento reversi erant Hierosolymam, remanente Maria. Quæ igitur prima & sola Dominum videt ipsius & iubetur resurrectionem & futuram adscensionem discipulis narrare Io. XX, 1. sqq. 14. sqq.

Hæc iussu Maria exultante animo capeffens ad discipulos properat, & visa auditaque narrat quidem insigni cum lætitia; at sine istorum assensu Marc. XVI, 9. 10. 11. Tantus attonitos animos stupor occupaverat! adeo rei narratæ, quia haud expectata fuerat, magnitudo suspensos tenebat! Digna sane memoratu res erat, Christum post suum in vitam reditum primam sui videndi copiam fecisse mulieri, & mulierem factam esse מְשֵׁרֶת, salutiferæ ἀναγγέλλουσας nuntiam & interpretem. Qua ratione salutis recuperatio in ipsis quoque historicis momentis amissæ salutis historiæ aliquo modo responderet. Quemadmodum enim mulieris culpa peccatum introivit in mundum & per peccatum mors; ita intercedente mulieris non quidem merito ullo, ministerio tamen sanctissimo, primum natus est salutis auctor, deinde partæ ac per resurrectionem consummatæ, seu confirmatæ, salutis negotium patefactum est, Maria una alteram, Χριστοτόκος Magdalenam, ad gratissima pietatis officia provocante.

SECUNDA reliquis obtigit *mulieribus*, quotquot primo mane ad monumentum properaverant, Domini sui, qui ipsis erat desideratissimus, corpori defuncto honorem ultimum solenniori ritu religiose exhibituræ. Venerant quidem hæc junctim una cum Magdalena ad sepulcrum: at, uti jam dictum est, non una cum Maria Magdalena recurrerant Hierosolymam, sed tardius reversæ in via Dominum habuerunt obvium, postquam is Mariæ apud sepulcrum, ad quod denuo redierat, jam adparuerat. Vide Matth. XXVIII. 8-10. Interea custodes urbem ingressi ordini sacerdotum gesta ex veroarrant, at ab iis habito senatus consulto



sulto muneribus corrupti mendaci lingua pervertunt omnia. Quod tamen iniquitatis arcanum mox vulgatum auctores ac ministros suos bonis omnibus abominabiles reddidit. Matth. XXVIII, 11-15. Illustris autem ista gratia, qua Christus pia piarum mulierum studia excepit, documento est insigni, quam fidelis sit Dominus in gratuita fidelitatis remuneratione; & simul ostendit rationem, cur discipuli in gratiæ anastasiæ beneficio ac fructu mulieribus sint postpositi.

TERTIA obvenit *Petro*, a monumento, quorsum secunda vice solus cucurrerat, revertenti. Postquam enim mulieres *χριστοφωρετα* secunda beatæ Hierosolymam redierant, & quanta sibi gratia data sit, exposuerant, Petrus sine comitatu denuo excurrit ad monumentum, factæ resurrectionis veritatem e repetita loci inspectione curatius exploraturus. Luc. XXIV, 12. Et hic ipsi adparuisse Dominum, ex eo liquet, quod, teste eodem Luca v. 34. viatores Emmauntici, Hierosolymam reversi, a discipulis undecim hac lætissima excipiuntur acclamatione: *Surrexit Dominus vere & adparuit Simoni!* Nullus autem istius temporis articulus huic adparitioni est convenientior illo ipso, quo Petrus monumentum repetierat; quandoquidem ea omnino præcessit illam, quæ universo discipulorum collegio facta est: quemadmodum præter Lucam etiam Paulus confirmat. 1. Cor. XV, 5. Sed quid Petro dixerit Salvator, neutro loco indicatur. Non est dubium, verba Domini istius animo, ex indignissimæ abnegationis conscientia adhuc trepidanti, fuisse accommodata & paracletica. Cum enim alios terreret Evangelium de resurrectione, ut in Christi hostibus videmus, alios afflictos, & inter hos maxime Petrum, solatio suo erexit. Et isto præ aliis indigere hunc discipulum, Angelus resurrectionis interpres, Petrini status conscius, mulieribus indicaverat, præcipiens, ut Christi in vitam reditum *discipulis nunciarent, maxime autem Petro.* Marc. XVI, 7.

Quary

QUARTA adparitione Dominus duos e discipulorum, latiori sensu sic dictorum, & ab Apostolis distinctorum, numero in via, maxime autem in cœna Emmauntica, dignatus est. Quæ quia una est e præcipuis & suavissimis, si notabilem circumstantiarum seriem consideres, ipse Dominus a Luca c. XXIV, 13--35. eam descriptam dedit fusius. Pius & attentus lector in ea tria hæc momenta præcipue notabit: 1.) *Confessionem discipulorum de Christo*, tanquam propheta, factis verbisque coram Deo & universo populo magno, inmo tanto, ut redimendi Israelis spem de se excitaverit certissimam v. 19. 20. 21. 2.) *Correptionem Christi*, acriorem quidem in *συληγοκαρθίαν*, seu *ὀλιγοπιστίαν*, sed cum suavissima tamen informatione de *χριστογνωσία*, tanquam Mosis, Psalmodum ac Prophetarum nucleo, coniunctam v. 15. 16. 17. 3.) *Confessionem discipulorum alteram* de verborum Christi efficacia penetrantissima, in expositione Scripturarum inter eundem percepta. v. 32.

QUINTA eadem adhuc primæ diei vespera *undecimvirorum* (quanquam nunc absente Thoma decem tantum congregati erant) *collegio*, & simul illis, qui pietatis causa se eidem aggregaverant, obvenit. Et inter hos ipsi erant duo illi Emmauntici: utpote qui vespera ingruente Dominum, tanquam viæ comitem gratisimum, exceperant, illoque inter comedendum agnito, at oculis ipsorum rursus subducto, eodem temporis articulo cursu magis, quam itione, incitante lætitiæ affectu Hierosolymam contenderant, anastasi gaudii fluctuantes adhuc condiscipulos suos participes facturi. Ingressi vero læto præveniebantur hoc nuntio: *Vere surrexit Dominus & Simoni adparuit*. Unde intelligitur discipulos post mulierum sermones demum Simonis affirmationi fidem habuisse. Cumque huic suam ipsorum subjungerent isti duo, ac iis, quæ se inter & resuscitatum Dominum gesta erant, narratis, credendo quasi certarent, ecce! ipse Christus ex improvviso adest in ipsorum medio, & de hac sua præsentia attonitos suavissima pacis ap-

precatione salutat, amicaque compellatione erigit ac confirmat, immo corpus suum idem, quod in cruce pependerat, resumtum in majorem fidei corroboracionem ipsis conrectandum probet, additis aliis indubitatae praesentiae suae signis ac sermonibus. Et horum quidem nucleus omnis praecipue fuit hermeneuticus, mysteria *Mosis, Prophetarum ac Psalmorum* Christosophica una cum salutis ordine explanans. Luc. XXIV. 36. seqq. Conf. Io. XIX. 19 -- 25. ubi narratur, quod Christus in hac ipsa apparitione discipulos suos Spiritu Sancto afflando donatos in munere apostolico confirmaverit.

SEXTA facta est discipulis post octiduum praesente Thoma congregatis: ubi Thomas a fluctuatione verbis signisque perductus ad fidem, hujus *πληροφορίαν* cum submissae adorationis affectu actuque hac declarat confessione: *ὁ κύριός μου, καὶ ὁ θεός μου, mi Domine, & mi Deus!* e verbis Davidis *יהוה אלתי* Psalm. VII. 2. *κ. τ. λ.* defumta. Quam cum dominus recipiat, confirmetque adeo ut eandem insigni excipiat *μακαρισμῶν*, hoc ad alios etiam credentes omnes extenso, abunde comprobat, se omnino esse Deum summa cum emphasi, h. e. ipsum IEHOVAM, cui voci vox *κύριος*, uti alias, ita hic quoque respondet. Ioan. XX. 24. seqq.

SEPTIMA illa est, quam Ioannes c. XXI. describit: qui quidem eam vocat *tertiam* v. 14. Sed respectu habito ad duas proximae praecedentes, quae Apostolis frequentius congregatis erant exhibitae. Et talis etiam haec erat. Aderant enim hic discipuli primi ordinis septem, *Simon Petrus, Thomas, Nathanael, duo filii Zebedaei* h. e. *Ioannes & Iacobus, & duo alii discipuli* haud nominati. Antecedentibus haec adparitio fuit luculentior in eo, quod, cum juxta mare Tiberiadis contigerit, cum insigni in piscatu miraculo fuit conjuncta, & novo, non ex necessitate, sed ex caritatis, lege suscepto comedendi actu illustrata. Huc



Huc accedebat, quod Petro de mansione Ioannis interroganti cura ovium agnorumque committebatur morte violenta ipsi insuper prædicta.

OCTAVA, quæ in aliquo Galilææ monte, qui non sine probabilitate insigni Thabor esse creditur, secundum promissionem Matth. XXVIII, 7, 10. Marc. XVI, 7. datam, facta, reliquis omnibus fuit illustrior, si numerum eorum, quibus hæc gratia obtigit, consideres. Postquam enim innotuerat, Dominum ex promisso in Galilæa appariturum esse pluribus, plusquam *quingenti* erant congregati. In quorum præsentia Christus Apostolos suos potestate *δουρατοφυκῆ* instructos ad præconium Evangelii in totum terrarum orbem ablegat. Matth. XXVIII, 6 -- fin. Marc. XVI, 15 -- 18. Conf. 1. Cor. XV, 6, ubi congregatorum numerus est indicatus.

NONA exhibita est *Jacobo* soli, uti tertia Petro; quod item liquet e mentione Pauli 1. Cor. XV, 7. qui etsi ipse haud versatus fuerat inter discipulos, tamen gesta ex eorum narratione nosse & impellente Spiritu Sancto commemorare poterat. Ubi vero & quibus circumstantiis facta sit hæc *χρῆσις φωνῆς*, haud liquet.

DECIMA denique & ultima omnium fuit illustrissima, facta duodecim Apostolis, e Galilæa Hierosolymam reversis & ab ipso Christo Bethaniam in montem olearum deductis. Hanc enim præ ceteris nobilitavit admiranda Christi *adscensio* in celos, prævia valedictione insigniter euangelica; utpote quæ continebat promissionem de unctione Spiritus Sancti, singulari cum emphasi paulo post ipsis obventura, & terminabatur solenni *benedictione sacerdotali*, qua Dominus discipulis adhibito *χρῆσις φωνῆς* signo gratiam & pacem suam denuo confirmabat. Luc. XXIV, 49, 50. Act. I, 4, seqq. Ceterum post adscensionem Dominum ter e sede gloriæ se conspicuum fecisse, seu pecu-

peculiari modo videndum audiendumque exhibuisse legimus:
primum protomartyri, *Stephano* morituro Act. VII, 55. deinde
Paulo convertendo c. IX, 4, seqq. conf. I. Cor. XV, 9. Tandem
Joanni. Apoc. I, 13.

Hæc, CIVES OPTIMI, est series ultimæ partis histo-
riæ Evangelicæ. Quæ uti meditationem vestram dirigit, ita
etiam applicationem requirit, præstantia sua dignam. Ver-
strum itaque erit, in horum consideratione ita versari, ac si
versaremur coram ipso Christo. Qui etsi præsentiam suam,
in quantum ea sensibus externis erat exposita, ecclesiæ sub-
trahit, eidem tamen est manetque præsentissimus. Quid?
quod per verbum Evangelii lectum auditumque ac pia me-
ditatione excultum, & per ei junctam Spiritus Sancti ope-
rationem & gratiæ efficaciam identidem nobis adpareat, &
præcipue feriis hisce anastasiis eadem nobis adpariturus, & in
ordine conversionis, aut renovationis, pacis spiritualis bona
nobis oblaturus, imino collaturus atque aucturus sit. Utinam a-
pud omnes pari, aut simili cum effectu, qualem repetita ^{Christi} *Ob-
servata* apud discipulos habuit! Erit hic quam certissimus, si die-
bus hisce festis sabbatismi sacri & interioris usus ipsa praxi
vobis fuerit commendatus, & si in ea præcipue id egeritis,
ut ineatis confirmetisque propositum per semestre æstivum,
quod inchoamus, immo per omnem vitam vobis moriendi,
CHRISTO autem, qui pro nobis in mortem traditus cum
gloria resurrexit, cum fiducia & sanctitate vivendi.

P. P. Halæ Sax. ipsis feriis anastasiis. A. C. M. DCCXX

Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





PROGRAMM
ACADEMIAE FR
PRO RE
NICOLAV
NYMVS GVND

POTENTISSIMI REGI
SILIARIYS INTIMVS, IN
QVENTIAE PROFESS

VNA CVM PRO
RELIG
CIVIBVS AC

PIAM RESVR
CHR

MEDITA
etiam atque etia

HALAE M
TYPIS IOANNIS MONT.

